

& 13. tres videntur ex uno. Author qui Babylone captivus tenebatur, vincula sibi à Deo solvi postulat; neque enim diuturniorem pateretur moram in medio populi dolosi, impii, & infidelis; divinarum post hæc promissionum spe confirmatur; unice verò ejus misericordiæ fidere se protestatur; iterum inde ad querelas in exordio Psalmi 12. vertitur; iterumque spe sibi auxilii Divini blanditur, Fufius post hæc in Psalmi 13. Babyloniæ scelera profequitur, totumque Psalmum claudens, futurum ominatur, ut Israel perfectam jam libertatem assecutus Dei laudes ingeminet.

Psalmus 19. oratio est pro Rege expeditionem aliquam suscepturo, ut prosper armis suis exitus impetretur; de recepta mox victoria in eodem bello gratiarum actiones aguntur. In Psalmi 20. Captivi Babylone versantes unum Canticum in tres, nempe 25. & 26. & 27. distributum profequuntur. Hujus argumentum vota sunt Domum Dei quamprimum videndi; tum & de iniquitate hostium querela; propositum de frequentando Templo, & grati animi argumenta in illo præstandi post solutam captivitatem; tandem veluti compos voti sui factus Author, debitas gratiarum actiones exsolvit. Eiusdem argumenti & temporis sunt gemini Psalmi 31. & 32. quibus Justorum felicitas multis exaggeratur; ad ingeminandas Dei laudes suadentur; tandem quid eorum status ab impiorum discrepet, sub ipsis veluti oculis exhibetur. Morbo aliquo affectus ac tandem convalescens David, valetudinem simul Deum rogat, & pro obtenta gratiarum laudes exsolvit quatuor pariter Psalmis 37. & 38. & 39. & 40. Filii Core post hostilem exercitum sulum, soluta jam Babylonicâ captivitate Canticum pangunt gratiarum actionis in Psls. 45. & 46. & 47. Patria suæ à Chaldæis everse ærunnas deplorat Asaph in Psls. 78. & 79. In dedicatione secundi Templi vel moenium Jerusalem post solutam captivitatem gratiæ facile referuntur perpetuo Cantico toto Psalmi 95. & 96. & 97. & 98. eodem enim quatuor illi Psalmi spiritu & argumento necluntur. Psalmi 112. & 113. usque ad vers. 9. solemnè pompâ gratiarum actiones pro soluta captivitate celebrant; inde verò, nempe à vers. 10. novum initur Canticum per tres Psalmos 114. & 115. & 116. decurrens, cujus amplioris carminis portio facile sunt Psls. 112. & 113.

Ad permissam à Dario Hytaspis restituendi moenia Jerusalem facultatem pertinent Psls. 145. & 146. & 147. in cujus Cantici exordio agit Psalmista de revocato edicto antea à Cyro concessio, moenia nempe & Templum restituendi; succedit dein sermo de imbre à Deo immisso, cum populus interceptum opus resumpsit; tandem in gratiarum actiones totus resolvitur Author per Psalmos 148. & 149. & 150. excurrrens: prolixum sanè Canticum, quod facile in dedicatione moenium Jerusalem decantatum est. Tandem Psls. 101. &

102. ac singuli deinceps usque ad totum 107. sunt etiam amplissimus Psalmus gratiarum actionis, in quo primò Author, veluti si in ipsa captivitate ageret, sermonem instituit; dein votorum compotem factum se à Deo, ejus misericordiâ liberatum proficitur; succedunt actiones gratiarum, nec sine methodo; namque in ipso vestibulo, nempe in Psalmi 102. laudes Divinorum attributorum, misericordiæ, veritatis, & justitiæ exhibentur; in Psalmi 103. Dei opera in scenam producta, Mundi creatio, & in vivis servata animantia; selectus post hæc Abraham ejusque familiæ genus, auxilium à Deo Patriarchis præstitum, Josephi & Jacob in Ægyptum descensus, Hebraeorum ex ea regione Duce Moysse egressus, iter per desertum, ac tandem in Terram Promissionis introitus. Hæc summa Psalmi 144. Tandem in Psalmi 145. crimina sua Author fatetur, veniam pro commissis à se & patribus suis deprecans; habere enim persuasum significat, eorum omnium criminum merito tot inducta in Israel mala, quæ solâ Dei misericordiâ sublata deinde fuissent, quemadmodum ipse proficitur in Psalmi 146. & 147.

III.

Author Collectionis Psalterii. Numerus Psalmorum.

Quis potissimum colligendorum, & in ordinem digerendorum Psalmorum Author fuerit, incertum. Esdra tribuit prior quâ veterum, quâ novorum Interpretum pars; sed verbo tantum opinionem illam affirmans, de ratione etiam factæ hujus Collectionis non satis sibi constare videntur. Asslatu Dei Esdræ universos sacros Libros iterum scribendos suscepisse Theodoretus est author (a); quare & Psalmos Judæorum negligentia vel Babyloniæ impietate sive amissos, sive corruptos, iterum ab illo recensitos autumavit. Scriptos tamen primùm Psalmos à Davide credit, sed ordinem, quem modò tenent, ab alio acceptum arbitratur. Idem, non asserto tamen, affirmandum sibi Eusebius censet (b), cui vel Esdras, vel alius quispiam hujus Collectionis est Author; quanquam nullum servatum ab illo ordinem, sed ut quisque sese offerebat, Psalmum descripsisse credit. Ex veteri traditione receptum tenere se dicit S. Hilarius Prolog. in Psls. Esdræ tumultuario opere Psalmos collegisse: *Psalmos incompositos, & pro Authorum ac temporum diversitate dispersos in Volumen unum collegisse ac retulisse*. Dispositos eodem, quo à Patribus suis acceperant, ordine à viris sapientissimis Judæis Philastrius (c) asseruit; eorum operâ servata sacra illa Cantica à manibus adversariorum & persecutorum affirmans. Hos Collectores non Spiritu quidem Dei affatos credit; sed sapientiâ quadam & probitate tanquam viros doctissimos & Sacerdotes. Esdras Author

a Theodoret. Præfat. in Psls.

b Euseb. Ps. 62. & 86.

c Philast. Her. 78.

thor est Collectionis Psalmorum juxta Pseudo-Athanasium in Synopsi. Genuinus tamen S. Athanasius in Argumentis Psalmorum [d] neminem designat; sed Opus esse dicit veteris Prophetæ rerum Synagogæ peritissimi, qui nullum sibi temporum ordinem in sua Collectione servandum censuerit. Favet pariter Esdræ Beda Venerabilis. Huic Patres magnæ Synagogæ adjutores accensent recentiores quidam. Interpretes, qui sententiâ suâ Opus ab eo digestum authenticum & Canonicum declaraverint. Receptam apud Judæos opinionem hanc de collectis ab Esdra Psalmis nullo se indicio deprehendere potuisse affirmat Munsterus; sed vulgatam hanc esse illorum traditionem asserit, præter Eusebium (e) etiam S. Hilarius.

d Argument. Ps. in 2. tom. Collect. vet. PP. pag. 70.

e Euseb. ad Psal. 84. pag. 537.

f 2. Par. 29. 25. &c.

† Prover. 15. 1.

g Ibid. vers. 14.

Non abs re tamen suspicamus, plures eidem Operi, nec eodem tempore, laborasse, ut non nisi seriùs totum Psalterium abolveretur. Sub Ezechia quamdam Psalmorum Collectionem obtinuisse facile credimus; scriptum enim de illo legitur, cultum Domini in Templo restituisse, cant Psalmos David jussisse ad normam instrumentorum, quæ olim sanctissimus Princeps in ulum Domini adhibenda statuerat (f). Ex 3000. Psalmis à Davide scriptis, 150. selectos ab amicis Regis Ezechia, cæteris aliis suppressis, affirmat Pseudo-Athanasius in Synopsi, quod tenere se dicit ex auctoritate Libri Paralipomenon, eum tamen nihil tale eâ de re hodie superfit. Porro quantum Ezechias studii & diligentia in Sacris Scriptis piissimorum virorum & Prophetarum colligendis contulerit pluribus aliis exemplis intelligibus. Digestas ejus jussu Sapientum sententias (†), quarum pars in Proverbiis superest, ex Scriptura docemur. Nehemias Bibliothecam sacram Jerosolymis instruxit, in quam redacta Davidis Opera diserte legimus 2. Macchab. 2. 13. Ejus exemplum sequutus Judas Macchabeus dispersos bellorum, atque persecutionum tumultu Libros colligendis curavit (g). Nec segniorem fuisse Esdræ credimus, redigendis scilicet in unum sacris monumentis gentis suæ; cum illius viri eâ in re sedulitati Judæorum æquæ & Christianorum traditio, silente licet Scripturâ, testimonium abundè reddiderit.

Quæ cum ita sint, si minus ordinis in Psalmis animadvertatur, non est cur vehementer miremur. Non enim curæ erat Prophetis, ait S. Hieronymus in Jerem. cap. 25. *tempora conservare, quæ historia leges desiderant, sed scribere quodcumque audientibus atque lectoris utile noverunt*. Negligunt plerumque Prophetæ ordinem Chronologicum, solum Lectorum utilitatem, cui parùm temporum adscriptiones conducant, præ oculis habentes. Unde & in Psalterio, addit idem S. Doctor, *malè quidam juxta Textum historia, Psalmorum requirunt ordinem, qui in Lyrico carmine non observatur*.

Profectò si hujus Collectionis Aathores ordinem quemdam sive Chronologicum, sive rerum servandum sibi proposuissent, nun-

quam id commissum ab illis fuisset, ut bis idem Psalmi iisdem penè vocibus variis in locis recurrerent; e. g. Psls. 13. & 52. Confer etiam Psls. 10. sive juxta Hebraeorum 11. & Psls. 15. & 35. cum duobus illis jam expressis. Psalmus 107. eadem repetit, quæ in fine Psls. 55. leguntur, adjectis versiculis 7. 8. 9. . . . 14. Psalmi 59. Psalmus 69. ferè totus repetitur in fine Psls. 34. & 39. Tres priores versiculi Psalmi 30. totidem ferè verbis leguntur in Psls. 70. 1. 2. 3. Unicum illud Canticum insertum 1. Par. 16. 8. in duos Psalmos divisum est; ut Psalmus 104. ex priori parte hujus Cantici usque ad illa verba: *Nolite tangere Christos meos*, constet; & Psalmus 95. ab illis exordiat: *Cantate Domino omnis terra*. Psalmus 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, ex alterius Psalmi ignoti portione derivatus videtur. Psalmus 135. totam revocat priorem partem Psalmi 134. adjectis ad singulos versiculos: *Quoniam in aeternum misericordia ejus*.

Quicumque Collectionis hujus adornanda consilium iniverunt, tanto illi in divina hæc carmina obsequio tenebantur, ut quæcumque veniebant in manus, hæc summâ fide describenda curarint, nulli alteri rei intenti, quam ut sacrum à profano discernerent. Cùm autem ipsi Divino Spiritu, uti credimus, afflarentur, illud facile usurpare potuerunt, ut quædam vel in fronte vel in calce quorundam Psalmorum adderent; ut puta titulos & clausulas quibus singuli quinquæ Psalterii Libri terminantur; videlicet: *Benedictus Dominus Deus Israel, à seculo & usque in seculum: Fiat, fiat*. Potuit & illorum esse clausula illa Psls. 71. *Defecerunt laudes David filii Jesse*; sicut & illa Psls. 105. 47. 48. *Salvos nos fac Domine Deus noster, & congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo*; quæ verba sunt addita in fine Cantici à Paralipomenis deducti (h). Vide exitum Psalmi 50. & nostrum argumentum in eundem Psalmum, sicut & in Psalmi 24. & 33. quædam enim adjecta in fine utriusque hujus Psalmi acrostyçi suspicamus.

S. Hilarius (i), cæterique ejus sententiam de ordine Psalmorum secuti (k) autumant, ordinem illum, quicumque tandem fuerit, in Psalterio, totum Septuaginta Interpretibus seu vetustis collectionum Psalmorum Authoribus tribuendum, qui certâ sibi argumentorum & conceptuum serie propositâ, quorundam de industria sedem, ut suo consilio servirent, mutaverint. Ita Psalmus 3. ad defectio-nem Absaloni spectans de industria præponitur Psls. 51. & 53. & 55. & 56. & 58. quos diu antea scriptos constat. Psls. 50. ad tempus suscepti in Ammonitis belli pertinet, ordine tamen præcedit cæteros de persecutione Saulis in Davidem.

Si tamen Esdras, vel Septuaginta seriem quandam sive temporum, sive rerum, sive Authorum sibi proposuerint, multum illos à consilio suo aberrasse dubitaverit nemo. Ne integra quidem 15. sive 20. Psal-

h 1. Par. 16. 34. 35. 36.

i Hilar. Prolog. Psal. k Vide Ambro. Apol. David. cap. 8. n. 42. Non tam ordinem ordinem quam mysterium gestis voluit convenire. Vide Origen. in Epist. ad Rom. lib. 3. cap. 3. P. 217.

Psalmorum series occurrit, qui omnes ad eundem Scriptorem, ad unum temporum aut argumenti ordinem pertineant. Quare aliam fuisse Collectionis hujusce Authoribus mentem, quam ut talem ordinem sibi proponerent, apertissime constat. Hujus verò ordinis si Authores Septuaginta teneamus; illis etiam tribuamus oportet Hebraicum eorundem Psalmorum ordinem, cum idem ferè sit utrinque; vel saltem illud consequitur, ordinem illum Hebraicum, recentiori quàm Septuaginta Authori Hebræo probatum, è Septuaginta expressum fuisse, quod vix, ac ne vix quidem credimus.

I Prolog. in Psa.

Singularem de ordine Psalmorum sententiam Euthymius (1) sequutus est; à primis enim hujus Collectionis Authoribus digestos juxta ordinem Solemniū, & temporum, quibus in Templo cantarentur, autumavit. Cùm tamen ordine sibi succedentes Psalmi ad eum parum congruere inter se deprehendantur, satis illud est argumenti, parum cantandis in singulis Solemnitatibus Psalmis ordinem illum contulisse. Apud Græcos in suis Liturgiis & destinatis in usum Ecclesiæ Libris, vetus obtinet divisio Psalterii in 20. *Cathismata* vel *Sessiones*; qui apud illos receptus mos Hebræis & Latinis incognitus, nec nisi Choro & cæremoniis Ecclesiasticis Græcorum accomodatus est.

m Apud Hotting. Thes. Philol. l. 2. Session. 3. p. 491.

Psalmorum numerus ad 150. uti supra innotuit, apud omnes Hebræos pariter & Christianos definitur. Nec nisi ut singulares videantur aliqui eum numerum ad 149. alii ad 147. restringunt (m): illi enim duos priores in unum coniungunt; hi verò mysticum numerum 147. annorum Patriarchæ Jacob ad Psalmorum numerum referre voluerunt. Nec abs re crediderim fore etiam, ut numerus multo in angustius redigeretur, si omnes ad arbitrium divisi Psalmi jungerentur, & singulis sua redderetur amplitudo. Sed res est nobis in præsentia de receptâ, & Ecclesiæ usu probatâ divisione, qua certus 150. Psalmorum numerus determinatur. Unus additur in pluribus Exemplaribus Græcis, & Latinis, sicut & in Syriaco, & Arabico; sed nunquam ille sive in Hebræo sive in Canone Librorum Sacrorum receptus est. Vide nostrum argumentum in eundem Psalmum ad calcem Psalterii.

n 3. Reg. 4. 32.

Legimus in Syriaco adjectos à nonnullis 12. Psalmos; quos ille tamquam inutilis & nullius authoritatis rejiciendos arbitratur. Proximè elapso sæculo reperta in Bibliotheca Argentoratensi Collectio Græca 18. Psalmorum Hebraicis referatissima, & stilo non multum à Septuaginta abhorrente; publici juris facta est à P. Ludovico de la Cerda Sæc. Jesu, sub eo titulo: *Psalterium Salomonis*; rebat enim Editor potuisse ad eum Principem spectare, quem Scripturæ testimonio (n) ad 5000. carmina distasse compertum est. Vulgò tamen aliter creditum, receptumque apud Eruditos, potuisse Opus ad Hellenistam aliquem Græcam linguam & maxime stilum Septuaginta callentem perti-

nere. Porro Operis hujusce Author imitandos sibi perpetuò, nec rarò exscribendos veteres Psalmos ducit opportunum, quorum ramentis Opus suum conflavit (o). *Vide in Psalter. P. de la Cerda Pss. 8. 9. 11. 12. 13. 15. 16.* Illud sibi facile consilium proposuerat, ut postremam Jerosolymæ everisionem, rerum sacrarum prophanationem, dispersionem Judæorum deploraret, phrasibus & verbis mutuatis ex Psalmis everisionem Jerosolymæ per Chaldæos & captivitatem Babylonicam lugentibus. Minus calluisse Hebræum ex eo intelligimus, quod octavo Psalmo titulum adscribat: *Canticum Salomonis pro victoriis*; volens Græcos imitari, qui Hebræum *Lamnasch*, quod recentiores Interpretes reddunt, *musica Præfectus*, transferunt *Victor*. Adde, nullum alium titulum minùs Salomoni quadrare, Principi, si quis alius, pacifico & nullis susceptis bellis inclyto. Tandem quale, rogo, Psalmistæ consilium, qui Canticum Victoriæ daturum se in titulo pollicetur, nihil nisi querelas & luctus pro desolatione Jerosolymæ & exilio Judæorum in carmine prosequatur?

Suspiciatur D. Ferrandus Opus illud facile Authori Synopses compertum fuisse; quippe qui sermonem de illo forè habuerit, cùm Salomonis Psalmos inter duobus Libros adscribit [p]. Vix equidem nobis persuaderetur, Collectionem illam, siquidem authoritatis aliquid obtineret, tandiu potuisse in tenebris & situ jacere, & à Sanctis Patribus manere illaudatam. S. Ambrosius in Præfat. in primum Psalmum, asserendum sibi censuit, ex omnibus Salomonis Canticis unum Canticum Cantorum ab Ecclesia probari. Et nos ultrò fatemur, primos Sacrorum Canticorum Collectores ex pluribus sibi propositis, selectos tantum probasse, iis rejectis, quos oblivioni tradendos & indignos, ut ad posterum transferrentur, eâ quâ præstanti judicii discretionem, reputarunt.

p Ferrand. in Psal. Præfat. cap. ult. ex Synops. Athanas.

IV.

Authoritas Libri Psalmorum. Argumentum vel Idea hujus Libri. Vaticinia Messia.

Totam hanc 150. Psalmorum Collectionem, quibus Psalterium constat, tanquam Divinum & S. Spiritus afflatu Scriptum Opus Synagoga æquè & Ecclesia Christiana nunquam non suspexerunt. A Davide tamen & à S. Spiritu abjudicantur cum Nicolaitis, & Gnosticis, etiam Manichæi, referente Philastrio; & Paulo Samosatenno ea fuit audacia, ut Psalmis in Ecclesia cantari consuetis suppressis, alios in sui honorem substituerit; hanc audaciæ suæ causationem asserens, Psalmos nempe nec satis probatos habuisse Authores nec veteres (a). Ambigunt tamen, nec immeritò quidem, an Psalmi isti, quos Paulus abrogavit, Sacra ne essent & in Canonem recepta Cantica, an potius hymni quidam à primis Christianis in hono-

a Antioche. Synod. advers. Paul. Samosaten. apud Euseb. Hist. Eccl. l. 7. c. 30. Edit. Valesii.

norem Jesu Christi digesti. Anabaptistarum etiam nonnulli impietatis suæ esse censuerunt, si cum Sacrosanctis omnibus etiam Psalmos Davidis rejicerent. Sed quem Hæretici isti omnes habuerunt in sacra hæc carmina horrorem, eodem impios illos Ecclesia semper detestata est.

In aliis singulorum Librorum Sacræ Scripturæ Prolegomenis partium nostrarum esse duximus, si Operis argumentum, tum & scribendi consilium panderemus. Frustra hic par methodus servaretur; neque enim singularis Authoris Opus censendi sunt Psalmi, neque argumenti. Singula planè carmina suam peculiare argumentum, & novum referunt scribendi consilium. Quare huic incommodò pro viribus supplendo, singulis Psalmis suum præfiximus Argumentum, in quo simul & de Authore & de tempore & consilio scribendi, stilo, ideâ, questum. Quibus sedulo discussis, certam quamdam interpretationem seligimus tenemusque, ne relatis ac refutatis quidem aliarum, metu ne earum numero confusionem Lectoribus ingeramus, atque tot varietatibus distractus animus minùs ad scopum Psalmi intendatur. In ambiguo errantem animum habere nemo cupit, sed certam viam tenere maluit omnes. Quibus expositiones nostræ non arriserint, illis aliam seligere pronum est, indicante singulas Argumento singulis Psalmis præfixo. Quando semel certum aliquod historicum Systema in expositione alicujus Psalmi constitutum est, nullè deinde in expositione literæ sacre currentem dia retinent.

In ea Collectione Psalmi occurrunt merè historici, veluti quibus agitur de egressu ex Aegypto, & Israelitarum per desertum itinere; alii futurorum oracula referentes, uti Ps. 2. *Quare fremuerunt gentes* &c. & 21. *Deus Deus meus respice in me* & 44. *Eructavit cor meum verbum bonum* & 71. *Deus judicium tuum Regi da*; & 109. *Dixit Dominus Domino meo*; alique nonnulli ad Messiam, ejus Natalia, Regnum & Passionem spectantes. Alii partim ad historias partim ad vaticinia pertinent; nempe memorabile aliquod factum de gestis David sive de Republica Hebræorum ad literam narrantes, vaticinia simul de Jesu Christo sive Ecclesiâ pandunt. Quidam normam præscribunt moribus dirigendis; alii preces ingruentibus ærumnis, & persecutionibus depellendis. Gratiarum actiones vel epinicia, aliqui prosequuntur; nec desunt Epithalamia, Cantica bellica, sacra pro Templo in cæremoniis dedicationum, in Festo Tabernaculorum, cùm primitiæ ad Domum Sanctam deferrentur. Invehuntur quidam in crimina; largum benedictionum imbrem in pios & religiosos viros alii effundunt. Tandem argumentorum & conceptuum varietas multiplex est & penè infinita, aliis ad virtutem incitamenta, aliis vitiorum frenâ exhibentibus, aliis tandem in minas effusis. Prospera & adversa tempora suos æquè habent Psalmos; si quis domi, si quis in itinere, in exilio, in-

ægritudine versetur, suos habet aptos & peculiare Psalmos, tum laudibus Deo agendis, tum veniæ deprecandæ, tum misericordiæ impetrandæ; quin & hæc simul omnia interdum unum idemque carmen complectitur. Quare statuendum est, consilium Sancti Spiritus potissimi Operis Authoris illud fuisse, nimirum ut totius disciplinæ moralis summam daret, in qua unâ quidquid ad instructionem & ædificationem aptissimum esset, contineretur.

Psalmorum lectione discimus unum esse & singularem Deum, cujus vanum spectrum exhibent Idola; eundemque verò Deum summæ esse potentie, sapientiæ & justitiæ, nihilque facere ad miserationem reliqui. In amplissimo ejus Providentiæ sinu omnes creature foventur, ejus ditioni nemo unquam sive Angelus sive homo non subicitur; favoribus prestandis nunquam non propensus, defendendis justis & maxime electo sibi populo nunquam non advigilans; & debite de impiis ultioni exigendæ nunquam segnis. Per omnia retro secula patrata ab Altissimo prodigia in theatrum producuntur. Mortales omnes & dispersæ per Orbem gentes ad ejus laudes celebrandas invitantur, suadenturque ut spes omnes in illo collocent, nunquam ab agendis gratiarum actionibus cessent, utpote quem unum habuerint omnium honorum autorem; dicto fideles morigerosque se præbeant, utpote cui domini jure subiciantur. Quantâ ille districtione in impios animadvertat, solidis argumentis luculentisque exemplis demonstratur. Equis alius amorem nostrum omnem & grati animi significationes præ illo promeretur? Quoad felicitatem spectat, sinceram illam puramque frustra alibi quàm apud justos quæras, cùm felicitatis speciem tantummodo non rem impii teneant. Præva impiorum consilia authorum malo implentur, cum in eos, quos aliis paraverint, laqueos incidant plerumque. Post hanc mortalem, altera nobis manet vita perennis in Cælo, cujus imaginem exprimentur Psalmi instar felicitatis cujusdam temporalis, pacis, diuturnæ vitæ, & terræ viventium, quæ simul omnia in præmium constituta sunt veris Israelitis in hoc mundo. Specimina interdum exhibentur moralis doctrinæ, solidæ, planæ & sinceræ, & ab ea fœce limpida, quæ plerumque carnalium Hebræorum scientia inficitur. Manu & arte constructa Templum non habitat Deus; non victimas, non holocausta poscit; sed contrito & humili corde, interno cultu & insonti vitâ delectatur. Non desunt ad clementiam, ad remittendas injurias, divitiarum contemptum, amorem inimicorum, intentam in se ipsam curam, studium Divinæ Legis, in rebus adversis constantiam, de admittis criminibus dolorem, & ingenuam etiam de occultissimis confessionem hortamenta. Omnibus æquè quæ justa sunt reddantur, votorum fides liberetur, dolus, fraus, usura, odium in proximos, & hypocrisis horrore habeantur.

Unum est, quod piorum animos offendit.